



**Consolatio Desperantium, Seu Conciones De Magna Dei
erga Peccatores serio poenitentes, comitate**

Bosquier, Philippe

Coloniae, 1617

II. Quid Hic Motvs In Corde Patris operatus sit, & quomodo oporteat nos
erga pauperes affici, & esse potius manu fœcundos ad benè faciendum,
quam ore facundos ad benedicendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56142](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56142)

bona quæ ei Deus concilio illi priuato praesidens sug-
gererat, ita vt tandem misericordia motus in eius
partes totus concesserit, ac Prodigum in gratiam
recipere decreuerit: quod qui primus prodigo auctori-
fuerat, Euangelium ei attulisset, & bonum honorarium
meritus fuisset.

Cicer. ad Attic. lib. 2. *O suauis duas Epistolas, quibus
Euangelia deberi fateor!*

Roman. 10. *Quam speciosi pedes euangelizantium pa-
tam, euangelizantium bona?*

Videamus itaque quomodo videlicet misericordia
victum senem agitaauerit.

II.

QVID HIC MOTVS IN CORDE
Patris operatus sit, & quomodo oporteat nos erga
pauperes affici, & esse potius manu facundos ad
bene faciendum, quam ore facundos ad
benedicendum.

NOtandum itaque verbum græcum *ἰσπλαγχνισ-
μῶν* misericordia motus, derivari à verbo *σπλαγ-
χνίζομαι*, quod magnam afflictionem cordis
significat, & quasi totalem perturbationem omnium
viscerum, quæ etiam exterius se prodit, ita vt homo
interius exteriusque fremat; nam eius primitiuum
σπλάγχνον significat cor, viscera & intestina. Græcus
itaque textus hunc Patris affectum, ita ferè describit
sicut affectus Dei ante diluuium.

Tandem dolore cordis intrinsecus.

Genes. 6.

quod vnicuique etiam exprimit nostrum *Misericordia*
motus; perinde enim est ac si dicas, cor eius repletum
est miseria, vel angustia cor eius oppleuerunt, videns
Prodigum suum in tam misero statu; nam vt inquit
Isidorus: *Hinc appellata est misericordia, quod miserum* *Isid. l. 9.*
cor faciat, dolens de altera miseria. & Cicero, *Misericor. Etymol.*
misericordia est agritudo ex miseria alterius iniuria laborantis, aut Cicer. l. 4.
agritudo ex alterius rebus aduersis. Ex quo vltimus Tuscul.
cor

reor communem versionem nostram quam intactam reliquerunt Erasmus, Varabius, Arias Montanus, meliorem esse quam Castalionis, qui transtulit: *Confessus pater misertus accurrit*, quasi in greco esse dicitur quod est. miseror vel misereor; aut *αὐτρίστος* quod est. Miseresco: quamvis enim *misertus* apud Latinos Aethores anxietatem cordis ex aliena miseria conceptam significet, non tamen tam magnifice in auribus Christianis sonat, quam illud, *motus misericordia*: vovula enim *motus* facit ut magnae perturbationis & restitatis in corde patris meminerim, in quo antea summa malitia erat: quando autem alteri additur, *motus misericordia*, facit ut mihi imaginem aliquod internum malum in corde Patris, & quoddam fastidium seu displicentiam in eius anima: cum autem sumptum illud, *Misertus* Castalionis aures meas ferit, nihil mihi alterius compassionem concipio.

Textus itaque graecus & nostra versio indicant primum conspectum miserabilis Prodigii, cor, viscera, totumque corpus Patris riguisse & contremuisse, non aliter ac simulo illo quod Graecis *καρδιαλγία* aut *καρδιαγῆδος*, id est, Syncope seu palpitatio cordis dicitur, subito correptus esset; eoque significare voluerunt compassionem illam verè paternam & cordialem fuisse; non superficialem tantum in ore aut labijs, aut unius & alterius gemitus, unius aut alterius lachrymas, quales ut plurimum compassionem esse solent quae ad cor rarissime penetrant, & propriae sunt hominum malae fidei, leuium amicorum, aut potius Parasitorum: Sic Aeschylus in Agamemnone: *Infelicitè agentis quiuis condolere, & una suspirare promptus est: morsus autem doloris nullus ad hepar penetrat.*

Apud Sto-
bæum,
Ser. 3.

Misericordia & compassio proborum hominum est & verorum amicorum, quae quamvis per gemitus, suspiria, singultus, & lachrymas exterius ostendatur, ab ipso tamen corde ut viuo fonte procedere debet & ad succurrendum misero conari. Sic Deus videns peccata hominum ante diluuium, & considerans quam seuerè exigente diuina iustitia punienda essent,

datus est dolore cordis intrinsecus. Et apud Hieremiam *Genes. 6.*
 tribui seu regno Ephraim condolens, *Conturbata Ierem. 31.*
sunt viscera mea super eum, miserans miserebor eius, ait
 Dominus; Iterum apud Oseam de eodem populo lo- *Osea 11.*
 quens: *Conuersum est cor meum, pariter conturbata est*
penitudo mea, non faciam furorem ire mea, non conuertar
ut dispergā Ephraim. Et Christus Lazarum quem ama-
 bat resuscitaturus, *infirmum spiritu,* & turbauit seip-
 sum: Alio tempore obuians viduæ iuxta Naim plo-
 ranti & eiulanti (nam flere hæc duo inuoluit) *miseri-*
cordia motus est, & mox de corde tacto compassione
 verba illa consolatoria prodire, *Noli flere,* quæ sta-
 tim ipse effectus subsecutus est, cum resuscitatum
 iuuenem, *reddidit matri suæ.* Amici Auditores, Deus
 ante omnia à nobis cor exigit, *Probe fili mi cor tuum*
mibi. Cor est quod homines amant, illud potissimum
 siue in iniurijs, siue in obsequijs intuentur: si mihi io-
 co iniuriam aut contumeliam dicas, cum mihi de
 sincero affectu & corde tuo constet, nihil eo offen-
 dat: si autem quis me amplexetur, osculetur, & tan-
 tum non adoret absque amore & affectu, offendet
 me potius & irritabit, quam fauorem meum con-
 ciliabit: *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudu-* *Prou. 27.*
lenta oscula odientis, aut, *Crocodyli lachrymæ.* Ut enim
 cor vita animalis est, quod in homine primum for-
 matur, primum uiuit, & reliqua uiuificat ac ultimo
 moritur, ita ut corruptis reliquis interioribus, adhuc
 in corde vita resideat, donec tandem etiam ipso defi-
 ciente mors ipsa subsequatur, ut docet Plinius. Imò & *l. 11. Nat.*
 hominis sanitas est, eo enim infirmo totus homo in- *Hist. c. 37.*
 firmatur, & anima ipsa quæ in corde residet, ut docet
 Plinius & insinuat Christus dicens, *de corde exeunt co-*
gitationes, hoc autem sano facillè homo alias infirmi-
 tates tolerat: Ita etiam omnes nostræ actiones ex-
 teriores sua nomina & species sortiuntur ex qualitate
 seu affectu cordis de quo proficiscuntur, ex eo enim
 prouenit ut bonæ, vel malæ, calidæ an frigidæ dicantur.

Voluit itaq; Euāgelista per suū *ισαλαγγνισδν.* & Inter-
 pres

pres per illud, *Motus misericordia*, significare cor paternum mox malè affectum fuisse ac Prodigum suū ita male vestitum vidisset; ac miseras ipsius vel vno ictu oculi intuitus esset; adeoq; à filij miseria paternum oculum haud aliter in fectum fuisse, quam cum Basiliscus suo venenato obrutu animalia quæ inueterur inficit.

Attraxit Pater per oculum ad cor suum omnem filij miseriam, quæ ita cor vulnerarunt, vt deliquium animi passus in terram conciderit : *Misericordia motus est, aut miseria cordis lapsus est*; ita vt si filius per clachritas Momi fenestellas in paternum pectus penetrare potuisset oculis, sicuti Christus in cruce pendens cor Virginis-Marris iuxta crucem stantis intuebatur, vidisset, quod sicuti dulcis illa Mater quæ filium suum vnicum vnicè diligebat,

Dilectus quemadmodum filius unicornium,
cor gladio transfixum gerebat,

Luc. 2.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius,
plus quam martyrium sufferebat, de qua S. Bernardus,

Vnde te plus quam martyrem predicamus,
& Hieronymus,

Quia mente passa est, plus quam mart. r. fuit.
Ita etiam vidisset miser parens cor tegetet compassione disruptum,

Psal. 104.

Plant. in
Pauulo,

Ferrum pertransijt animam eius,
Cordolium vorum Patri fuit.

Omnes miseras quas filius diuisim in corpore & animo supportabat, Pater simul in fasciculo in corde ferebat: ita vt si hæc Patris miseria filio cognita fuisset, eius miseriam auxisset & duplicasset, sicuti Christus Matris suæ compassio altera passio fuit; ipsumque occupasset, vt potius cogitaret quomodo Parentem consolari eiusque miserie mederi, quam propriæ posset: Sicuti Christus magis sollicitus fuit vt condolentem Matrem animaret & confortaret, quam vt ingenti oneri suorum dolorum leuamen quaereret.

NON

Nox & tua testis

Virgil l. 9.
Æneid.

Dextera, quod nequeam lachrymas perferre parentis.

O amores ! ô affectiones parentum erga liberos quam estis semper cordiales, reales, ardentis, immoderata: De vobis dicere licet

Amor nihil moderabile suadet:

imò nec facit; quæcunque cogitat, quæcunq; facit, quæcunque attentat magna & ardua sunt,

Amor operatur magna, si est.

Gregor,

Commota sunt viscera (veræ matris) super filio suo.

Salomone scilicet sectionem viui pueruli decernente ad partitionem iustam vtriq; meretrici. Poterat dicere hic Pater cum sponsa in canticis, nisi fortè animi deliquium vocem intercluserat: *Fulcite me floribus, stipate me malis; quia amore langueo, &*

Cantic. 2.

Vulnerata charitate ego sum.

Misericordia motus; aut miseria cordis lapsus est.

Sic, sic Misericordia immisericors adepta aduersus Iustitiam victoria miserum illum Patrem exagitaui. Et sanè necessarius erat Prodigio talis Pater, qui esset riuum exemplar Iesu-Christi, qui est Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, necessarius ei erat qui miserijs & infortunio Prodigii compateretur: Quid futurum fuisse putatis si in Patrem incidisset, de quo dici non posset: *Misericordia motus est, sed potius, iratus est furore Dominus in populum suum: & maximè cum obiectum iræ sibi præsens conspiceret?*

Et nos igitur similiter Auditores Christiani, mox ac pauperem conspexerimus ad misericordiam moueamur: oportet etiam nos ipsorum miseras sentire, apprehensione miseriæ & infirmitatum alienarum oporteret corda nostra languere:

Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Gal. 6. Christi, inquit Apostolus, imò & naturæ, quæ iubet vt nobis bona malaque sint communia etiam aliorum, ita vt illa æquè ac nostra sentiamus; hæc enim vera Sanctorum Communio est. Quod animaduertens quidam gentilis dixit, Homo sum, humani nihil à me

L

alie,

alienum puto. Quia Christianitatis totius, huius Reipubl. Monasterij aut collegij membrum sum, mihi cuiusque membri dolorem sentio & condoleo. Vnde Cato apud Ciceronem lib. 3. de finibus, *Ex hoc nascitur, ut etiam communis hominum inter homines velle sit commendatio, ut oporteat hominem ab homine, et idipsum, quod homo sit, non alienum videri.* & Seneca lib. 15. ep. Omne hoc quod vides, quo diuina humana conclusa sunt, vnum est: Membra sumus corporis magni, natura nos cognatos edidit. Hec nobis amorem indidit mutuam, & sociabiles fecit, illa æquum, iustumque imposuit: Ex istius institutione miserius est nocere, quam lædi. Ex illius imperio paratæ sunt iuuantis manus. Isti versus in petore & in ore sunt: Homo sum, nihil humani a me alienum puto. Habeamus in commune quod nati sumus.

2. Cor. 11. *Quis infirmatur in vobis, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?*

Sed pro dolor quam longè à benignitate huius patris absumus? Multi nostrum vident aut cerdè seivnt miseris proximorum suorum necessitates, sed in animo nihilo magis quam lapis commouentur, & dicunt, *Nulli cedo terminus*, non mouentur, flouent sunt, affectibus carent, instar statuæ salis, in quam vxor Loth transformata est, nullum compassionis sensum in se experiuntur:

Amos 6. *Nihil patiebantur super contritione Ioseph.*

Genes. 42. *Videntes angustiam anime illius, dum deprecaretur nos, & non audiimus.*

Aliorum passiones in Tigribus facilius quam in obduratis illis compassionem generarèt, planè obtruerunt, ac si cum Niobe in rupem conuersi essent, & de petra vel ære excisi, quod sanè pessimum signum est, nam

Viri improbi viscera non mollescunt.

Luc. 16. Similes sunt diuiti Epuloni, qui Lazarum viceribus plenum ventre vacuo foribus suis assidentem videbat, & erga illum misericordia motus non est quem

quem videbat canes suos medicinali lingua lambere, & quod poterant mederi. Sunt similes Sacerdoti & Leuitæ qui transeuntes gemitum peregrini, qui ex Ierosolyma descendens in Iericho in latrones incidit, & varijs vulneribus confossus pro semivivo relictus fuerat, audierunt & fortè denudatum vident, sed nulla misericordia mori sunt, *Sacerdos viso illo præterivit: similiter & Leuita, cum esset secus locum.* O barbarem duritiam! Vah, digni qui nomen filiorum meretricis portetis; & sicut senior Osee, *Absque misericordia, appellemini.*

O naturæ humanæ spurios! ð Christianissimi totius dedecora!

Coagulatum est sicut lac cor eorum, id est, asperum. Psal. 116.
Cor fera detur ei.

Daniel.

Sunt & alij magis impij qui non dignantur miserum scabiosum intueri, ne cum cognoscant & misericordia moueantur, sed auerso vultu alio oculos conuertunt:

Oculos habent, & non videbunt.

Psal. 134.

Auertit vultum & subit ora pudor.

Ouid.

Opus esset his miseris tintinnabula per plateas circumferre vt pauperes illi Græci Mythagora dicti; aut cum facibus vel Diogenis lucerna claro meridie obambulare, vt sic saltem oculis misericordiæ aspici possint, quod quondam Pædagogum quendam suo nobili discipulo fecisse ferunt. Cum enim dictus nobilis adhuc sub Pædagogi ferula esset, sæpè dicebat: si ad dignitatem Episcopalem prouectus fuero optimè prouidebo tibi: Factus autem Episcopus Præceptoris omninò oblitus est: ille, vt iuueni Episcopo memoriam refricaret, instar Diogenis claro die Parisijs accensis facibus & cereis occurrit; rogatus cur hoc faceret, acutè & animosè respondit, *Quia videris mihi nihil videre & oculos compassionis amississe.*

Alij sunt qui libenter pauperes vident eisque compatiuntur, cor carneum & misericordis habent:

Cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.

L. 2. Sed

Sed mox vt recesserint nihil sequitur, compatiuntur quidē, sed nihil præterea. Misericordia ipsorum sterilis est, aut si quid pariat verba & lachrymæ sunt. Sunt misericordes facundi, benè consulunt & consolantur, optima quæque miseris optant, interim tamen facilius Diabolum ex orco quam nummum ex eorum marsupio eduxeris. Non hoc est quod natura, quod Deus, quod Apostoli, quod Prophetæ volunt, cum nos ad misericordiam inducunt dicentes:

Coloss. 3. *Induite vos sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiae.*

Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.

Non, non: loquuntur de misericordia non facunda sed facunda, misericordia affectus & effectus simul, de misericordia & miseratione; de illa, vt de fonte ac matre; de hac, vt riuiulo & filia: de illa, vt causa, de hac, vt effectus; De misericordia, quæ affectum dicit; de miseratione, quæ demonstrationem affectus per verba, gemitus, lachrymas, & maximè per opera misericordiae, subventionis & auxiliij importat, adeoque in Deo semper coniunguntur:

Psal. 111. *Misericors & miserator Dominus, escam deicit timoribus se.*

Hinc Christus nos monet vt simus misericordes sicut Pater noster cœlestis misericors est, non vt eius infinitam misericordiam adæquemus, sed vt ipse semper misericordiam cum miseratione copulemus, id est, vt simus efficaciter misericordes, nec vnquam misericordia moueamur, nisi & operibus misericordiae miseris assistamus,

1. Ioan. 3. *Non diligamus verbo neq; lingua, sed opere & veritate.*
Greg. sup. *Amorem nostrum erga proximum, plus bona opera loquantur, quam lingua; vt in ipso opere bono proximus amari se videat.*
Ezech.

D. Augustinus, *Misericordia quid est, nisi aliena miseria quadam in corde nostro compassio, qua (si utiq; possimus)*

mus) subuenire compellimur?

Cicero l. 4. Tusculan. Cur miserearis potius, quam
feras opem, si id facere possis?

Martialis, Quod peto, da Cai, non peto consilium.

Quid enim mihi proderit ut in macellum eam si
mecum plores, & me aut famem meam tantum de-
plores? quod omnia mundi bona mihi optes & ne de-
narium largiaris?

Iacobi 2. Si frater & soror nudi sint, & indigeant victu
quotidiano; dicat autem aliquis ex vobis illis; Ite in pace,
calescimini & saturamini: non dederitis autem eis qua
necessaria sunt corpori, quid proderit? Quid profuisset pau-
perculæ viduæ ex Naim si Christus ei tantum dixisset
Noli flere, & filium neque resuscitasset neq; matri red-
didisset? Quid profuisset turbæ quod Christus dixe-
rat. Misereor super turbam, nisi simul multiplicatis pa-
nibus & piscibus famelicam turbam satiasset. Manus
eius verba sequebantur, & misericordiã eleemosynæ.

Virtus de illo exibat & sanabat omnes.

Manus illius tornatiles; aureæ, plena hyacinthis. Ut in-
utilis est medicus Cicerone ipso eloquentior, qui le-
cto affidens de morbis multa disserit, & tamen nul-
lum medicamentum ordinat, aut dietam præscribit,
ut amissam sanitatē infirmus recipiat: ita misericor-
des absque miseratione inutiles sunt, qui quidem mi-
sericordiam erga proximum in corde & ore gerunt,
sed opere nihil præstant quamuis possent, nec miserū
inopia subleuant, neque salutem animæ suæ procu-
tant. Si familia solis compassionibus & desiderijs ali
& sustentari posset, compati satis esset & dicerem,

Cantic. 5.

Misereat, si familiam alere possim misericordia

Plaut. in

Si quis fumo & nidoribus de culina aut epulis re-
gijis euaporantibus viuere queat: Si licuit cau-
ponariæ, illi vapores & aspectum ciborum æquè ca-
rè ac cibos ipsos vendere (digna sanè quæ Termerū
cognomento fumi-venditorem maritum sortiatur) si
pictæ in mensis epularum structuræ, vel opipari con-
uiuij infomnium famelicum ventrem satiant: fatebor
miseros illos & egenos ditiorum compassione & desi-
derijs

Pseudolo

Act. 5.

derijs satiari, ipsosq; æqualem, ac si re ipsa satiasset, à Deo mercedem relaturos: Qui volet, credat.

Sic miseros pascere, est vanum ventrem musica reficere, quod quendam pauperem Musicum tempore famis anni 1587. & 1586. fecisse narratur; cum enim paruuli à non habente calidis lachrymis panem peterent, ipse arrepta Testudine, alioue instrumento musico, cantilenam vnã aut alteram personabat, & sic famelicos vt prius dimittebat: An non bene misellos suos paterno affectu pauerat? An non fame & inedia tantum non absumpti recedebant: Idem omninò faciunt diuites, qui quidem misericordia erga pauperes commouentur, sed manum ad porrigendam eleemosynam non extendunt.

Cum itaque quempiam egenũ conſpicimus, oportet in corde nostro ita alienam miseriam contemplari, vt ex ea misericordia resulet, eaque non sterilis sed fecunda quæ miserationem vt filiam comitantem habet, quæ verba consolatoria producat in ore, lachrymas in oculis, in toto corpore horrores, in manibus promptas eleemosynas producat: non sic inſtat recentiorum palmitum vinearum, qui spem bonæ vindemiæ faciunt, sed mox frigore absumpris gemmis steriles perseuerant; non sit, inſtar rosæ gemmantis, quæ gelu percussa antequam in rosam aperiat, decidit, non sit embryo in fœtum abortiuum delinens; non sit ouum vrinum ex quo nullus pullus excluditur: Sed sit misericordia affectus boni & operis melioris vndique effectus misericordiæ pululans.

1. Ioh. 3.

Non diligamus verbo, neq; lingua; sed opere & veritate.

Habeamus cor bonum, profundum, largum & tenerum: linguam modicam & breuem; manus autem longas, apertas, & ad benefaciendum extensas, & oleo miserationis inunctas: Ita, cor inquam profundum & largum, vt multum misericordiæ capiat; tenerum, vt facile impressiones alienarum miseriarum recipiat, quamuis naturaliter dura ac coagmentata

carne

carne constet; carneum sit & non chalybeum, aut de rupe excisum; ut sit ita facile ad bonum & amorem amicitiae seu charitatis, sicut quidam Poeta dicebat, suum cor esse facile ad malum & ad amorem concupiscentiae.

Molle, Cupidineis nec inexpugnabile telis

Ouid. l. 4.

Cor mihi, quodq; lenius causa moueret, erat.

Trist.

& alibi,

Eleg. 9.

Centum sunt causa cur ego semper amem.

Idem l. 2.

Eleg. 4.

Linguam habeamus modicam & breuem, hoc est, absque multis promissis, prolixis deplorationibus, longis discursibus, tam de passione aliena, quam de compassione nostra, manus nostra sint longae, ut illa Attaxerxis filij Xerxis, qui cognominatus est Longimanus, eo quod absentibus & praesentibus aperta & larga manu benefaceret:

Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.

Prou. 31.

aperta sint, ut per eas aurum & argentum facile transeat ad pauperes; inuncta sint, ut absque labore & solita sponte nummi excidant, iuxta illud:

Te faciente elemosynam, nescias sinistra tua, quid faciat dextera tua.

Est & aliud genus hominum, qui miserationem sine misericordia erga pauperes exercent, hoc est, qui consolantur inopes, eorum miseris subueniunt, afflictionibus medentur; sed sine misericordia absque affectu cordiali, sine vilo sensu interno miseriae proximi: absque vero affectu bonos effectus producant & dicunt.

An sine misericordia liberales esse non possumus?

Cicer. l. 4.

Si autem quis quærat utri plus mereantur, aut qui misericordia mouentur & nihil pauperi donant, aut qui illis benefaciunt & de misericordia parum solliciti sunt, de suis superfluis, ut micis à mensa Dominorum decidentibus solent, pauperes nascuntur?

Tuscul.

Catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.

Respondebo apud pauperem plus mereri qui absq[ue] misericordia donat, quam compatitur & nihil mi- ro largitur: neque enim pauperes curate solent nu- dane manu an furcula ipsis eibus ministraretur: & sic quidam: *Non exigo, ut tuis manibus porrigas cibos, ut consoles, ut foueas; projice, quod rapiam; abijce, quod colligam.* Apud Deum tamen misericors absq[ue] dono, si ad- sit voluntas, desit facultas plus meretur, nam

Animum magis, quam manum, & Superi, & magni spectant.

Gregor. sup. Ezechielem, *Quum tantum non possi- mus, quantum volumus operari, omnipotenti Deo occulta cordis nostri sufficiunt.* Deus etiam bonas voluntates quæ in actum externum erumpere prohibetur, coro- nat: Deus ponderat, *Non quantum, sed ex quanto,* in- quiunt Theologi; testatur vidua, quæ duos denarios in gazophilacium coniecit:

August. in Psal. 105. *Coronat Deus intus bonitatem, ubi non inuenit facul- tatem: Nemo dicat, Non habeo; charitas de sacculo non e- rogatur. & alius:*

Ouid. l. 3. de Pont. *Nec, qua de parua pauper Dijs libat acerrâ, Thura, minus grandi quam data lance valent.*

Coram Deo, hoc *Quid pro quo,* affectus pro effectu, tantum valet quantum apud Medicos succedaneum, sic cum nihil melius ad manum esset Cyrus Iunior frater Artaxerxis, aut malum granatum, aut aquam de flumine manu contæua hauſtam, obtulisse & li- balle dicitur. Neque etiã talis misericordia, quam- uis exteriora opera annexa non habeat, omninò in- fructuosa est, modo miseris de compassionem constet, nam, ut ex antiquis quidam ait,

Menæder. *Plurimum potest apud infortunatos presentes sibi videri qui condoleant.*

& alius,

Quint. Decla. 12. *Vltimum miseris est miserationem perdere.*

Et è contra donum quod à diuite præstat paup- eri, tantum honesto animo & liberali dolebit, quan- tum corpori adfert solatij, si sciat absq[ue] misericor- dia & compassionem dari; nam ut quondam egens

Patet

Pater immisericordi filio aiebat,

Genus ultionis est, pascere, nec misereri.

*Idem De
clam. 5.*

Deinde qui absque misericordix affectu, eleemosinae effectum largitur, materialiter tantum Dei mandatum exequitur; qui autem propter propriam egestatem nihil largitur & condolet, formale praecepti adimplet: notissimum autem est formam materiae & animam nostram corpori anteferri: Melior itaque coram Deo est misericors absq; opere, cum aliud non potest, quam qui multa distribuit absque misericordia: Imo quicquid tali animo donat, si rigide loquamur, non putem nomine eleemosinae censendum esse; nam in nouo Testamento & apud Ecclesiasticos Scriptores, nomen *Eleemosina*, quod pure graecum est, nunquam aliter accipitur, quam pro dono quod misero seu pauperi ex Misericordia datur, & eleemosynae vocantur opera misericordiae, ut doceamur, omnia illa quae pauperibus donamus aut facimus, nomen eleemosinae coram Deo non mereri, si absque misericordia praestentur, cum ipse cor nostrum & non manum intueatur: sed huiusmodi dicenda sunt liberalitatis effecta, quo sensu Cicero ait, *An sine misericordia liberales esse non possimus?*

*Cicer. l. 4.
Tuscul.*

Ethinc forte Daniel cum Nabuchodonosore & eleemosinarum & misericordiarum meminit, dicens,

Peccata tua eleemosinis redime, & iniquitates tuas misericordius pauperum.

quasi dicat, dona pauperibus praestita eleemosinae non erunt, nisi ea comitetur misericordia, aut potius nisi ab ipsa misericordia proficiantur. Et quidem huius obiecti consideratio plurimum me in paupere S. Francisci ordine consolatur; quamuis enim paupertas mea voto firmata mihi non permittat quantum & quando placuerit in eleemosynam elargiri; tamen hunc defectum facile supplere queo, ipso affectu & interno sensu miseriarum & afflictionum proximi mei, quod proprium Misericordiae est: Mereri ego possum dum miseris optima quaeque aueo, bona verba

L 5 & con-

& consolatoria impartior, ac tanto vehementiori affectu ea profero, quo longius facultate beneficiendi absum : Similes eleemosinas elargiri solebat Beatus noster Didacus, de quo in eius officio canimus:

Tanto beatus Didacus erga Christi pauperes amore flagrabat, ut cum eorum calamitates pro voto subleuare non posset, vim lachrymarum profundens, verbis eos dulcissimis solaretur. Atque hoc modo ego & omnes pauperes bonæ voluntatis æquè & plus mereri possumus, quam multi diuites qui absque vlla aut exigua interiori misericordia eleemosinas distribuunt,

Qui non habet in re, aut are, ore pro se ferat habere in pectore.

Isai. 50.

Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustinere eum, qui lassus est verbo.

Neque tamen diffiteor pauperi plus prodesse donum sine misericordia, quam misericordiam sine opere: sed optimè faciunt qui affectum bonum bono effectui seu operi copulant.

Spartian.
in Caracalla.

Affectu & effectu pius : non tenax in largitionem, non lentus in eleemosinam.

Hi sunt viri misericordia.

Proprium tamen huius, *Et misericordia motus, interior eleemosina est, quam etiam pauperes pauperibus impendere possunt : Memor itaque sit vultus quisque nostrum, & secundum vocationem suam & statum meliori quo potest modo pauperibus beneficiat, & sciat docente Christo*

Beatius est dare quam accipere,

Actor. 20. & Artaxerxem Xerxis filium dicere solitum,
Beneficium dare multo magis Regale, quam accipere.

CONCIO